

D. O. D.

DISSERTATIO HISTORICA,
CONTINENS DISQUISITIONEM:

*AN HUNNI SINT FENNO-
RUM ABORIGINES?*

QUAM

CONSENSU AMPL. SENATUS PHILOSOPHICI
IN REGIA ACADEMIA ABOËNSI,

P RÆS I D E

Mag. JOHANNE BILMARK,

HIST. AC PHIL. PRACT. PROF. REG. ET ORD.

*Pro summis in Philosophia honoribus obtinendis
Publice examinandam sistit*

H E N R I C U S R E Æ L I N,

N Y L A N D U S ,

*In Auditorio Majori die II Maii
Anni R. S. MDCCXCII,*

H. A. M. C.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

S:Æ R:Æ M:TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
PERILLUSTRI AC GENEROSISSIMO,
D:no CAROLO ARVIDO
HALLENBORG,
SUPREMI REGII DICASTERII ABOËNSIS
PRO - PRÆSIDI GRAVISSIMO,
MÆCENATI MAXIMO.

Ignoscas audacie meæ, GENEROSISSIME DOMINE PRO-PRÆSES, quod & TUÆ Dignitatis & meæ tenuitatis haud immemor, Perillustre Tuum NOMEN dissertationi huic præfigere ausim. Devotum, quo TE, PERILLISTRIS DOMINE PRO-PRÆSES, cernuus prosequor, animum publice declarare cupiens, præsentem arripui occasionem, hanc pietatis meæ nunquam intermoritur tesseram TIBI offerendi, quam si eodem, quo me hactenus es dignatus, favore excipias, measque spes TIBI commendatas habere velis, ego vicissim, voti compos, cum appreicatione incolmitatis & omnigenæ felicitatis, in feros annos perennaturæ, ad cineres usque permanebo

PERILLISTRIS AC GENEROSISSIMI NOMINIS TUI

clens devotissimus
HENRICUS REJLIN.

PRÆFATIO.

Sicut in Historiæ theatro multa occurunt momenta, de quorum genuina indole vix quidquam certi potest asseri; ita illud præcipue argumentum, quod origines gentium concernit, perplexis variarum opinionum tricis adeo plerumque est involutum, ut vix in alio tot sententiарum divertia, quot in hoc se offerunt, inveniantur. Cujus dissensus rationes hæ haberi debent præcipuæ: partim quod homines antiquissimis temporibus propter frequentes vicinorum populorum irruptiones solum saepius vertere cogerentur, partim quod plerique eorum adeo inter extrema tunc viverent, ut satis haberent, si necessaria vitæ præsidia pertinaci labore sibi posset comparare, de indaganda proinde, & cum posteris communicanda majorum suorum conditione parum solliciti; partim denique quod ea ignorarent adminicula, quibus memoria eventuum atque insignium factorum ab oblivione posset vindicari. Fuit tempus, quo antiquitatum scrutatores se spartam, suæ demandatam industriæ, ornasse crediderunt, dum ex sua patria, tamquam ex eodem alveari examina, celebres quascunque nationes in reliquum educerent orbem; quorum vero singulis rationibus licet eordatus nemo suffragetur, acutum tamen eorum ingenium & cum antiquissimis scriptoribus familiaritatem merito admiratur. Vix autem obscuriores sunt ullius populi natales, quam Fennorum, quos in suis quidem scripsit

pris tam exteri, quam veteres Scandiae Historici nominant, sed veluti per transennam, quasi in scenam orbis prodierint, ut inde protinus discederent. Quæ de origine Fennorum in arctoꝝ hacce plaga diversis locis edita sunt specimina Historica, arbitramur esse notiora, quam ut antiquitatum patriarum curiolum quemquam fugere possunt: In magna autem opinionum circa dictam originem varietate, non uni obvenit perquam probabile, Fenos esse veterum Hunnorum, gentis valde famosæ, propaginem (a); quam vero opinionem perplexo dubitationis labyrintho involutam, pro ingenii modulo in hac dissertatione examinabimus, lati, si ad illustrationem argumenti, quod multorum exercuit industriam, aliquam conferre possumus symbolam.

(a) Hanc de origine Feinorum sententiam, inter alios, foverunt nobilissimi Historici SIRAHLENBERG & SUHM, quorum ille docet, Fennicam nationem sub Oigurischensibus Hunnis fuisse comprehensam, hanc cognationem ex convenientia linguae utriusque Nationis præcipue deducens, vid. *Das Nord und Østliche Theil von Europa und Asia* p. 34 in not. & p. 61. Hic autem in præsentem rem ita differit: *I det Store Tatarie finnes nu omstunder tvende Hofvefolk og Sprog, det Mantcheauske, og Mungalske eller Calmuckske; de sidste kan man være mis paa at være de samme, som de i middelalderen saa bekendte Humer og Tyrker, en sag som den fortreflige de Guignes haver sat uden al Tvil; Sprog, Levemaaede, Skabning og Udsende bewise ogsaa at alle Finske Folk ere Brødre af dem; beraf maae man sluite, at da deres første Førfædre komme ind paa de Cauciske Bierge, vendte nogle sig nord och vester efter, og de bleve Stamfædre for de*

de Finske Folk, andre øster efter, ginge over Wolga, og bleve bekjendte under navn af Issedoner, og ved dem Stamfædre for Huner og Tyrker. Et nonnullis interjectis rotunde adserit: *at alle Finske Folkes flag, der efter Sprog, Levemaade og Statur at dømme ere af en oprindelse med Hunnerne, vid Försög til et Udkast af en Historie over Folkenes Oprindelse i Almindelighet p. 185 & 193.*

§. I.

Ut probabilitatis quandam facem in obscuro hoc, quod nostræ est considerationis, argumento accendamus, paucis dispiciamus, quid de natalibus Hunnorum nos doceant Historici, de quibus præsumendum, quod notitiam hujus gentis habuerint. Inter hos referendus est JOR-NANDES, Gothorum, qui post varios calus sedes sibi in Italia fixerunt, seculo VI Episcopus, qui proinde ATTILA, sub quo Rege Natio Hunnica præcipue floruit, non integro posterior fuit seculo. Perhibet autem ille, ut ab antiquitate accepit, quod FILIMER, Gothorum Rex, & GANDARICI MAGNI filius, post egressum ex Scanzia insula, jam quinto loco principatum tenens Getarum, qui & terras Scythicas cum sua gente introisset, repperit in populo suo quasdam magas mulieres, quas patrio sermone Alyrumnas OROSIUS cognominat, easque habens suspectas, de medio sui proturbaverit, longeque ab exercitu suo fugatas in solitudine errare coegerit. Quas sylvestres homines, quos Faunos Ficarios vocant, per annum vagantes dum vidissent, & earum se complexibus in coitu miscuissent, genus hoc ferocissimum, Hunnos scilicet, ediderint (*a*). Danda antiquitati venia, quod suis narrationibus fabulas sape immiscuerit, per quarum tamen

4

facum mens scriptorum non raro comparet. Ex hoc certe colligere licet testimonio, tam quo circiter tempore Hunni, ex veterum traditione, sint orti, quam etjani cuius profapiæ ex eorum mente fuerint. Scilicet orta fuit ferox hæc Natio, cum FILIMER, quintus post BERICHUM, qui coloniam Gothorum ex Scanzia eduxit, Princeps, ad clavum imperii Getarum federet. Docent autem probatissimi Historici, BERICHUM hunc circa initium æræ Christianæ vixisse; quamobrem si cuilibet seculo tres successive Regum generationes tribuamus, ætas FILIMERI, quæ epocha est ortus Hunnorum, in medium circiter seculi secundi incidit (*b*). Ex allato JORNANDIS testimonio præterea discimus, veteribus fuisse persvasum, Hunnos genus suum maternum ad Getas referre, ortos quippe ex concubitu feminarum Geticarum Alrunor (diversimode enim vox illa scribitur) seu mulierum fatidicarum ex interpretatione Nob. IHRE (*c*), cum Faunis seu cum Tartaris, ut nos opinamur, earum vicinis, ac sporadicō vivendi generi adiuvatis. A Jornande parum recedit PROCOLIUS, ei æqualis, Hunnos cum Scythis & Maßlagetis, vicinia forte habitationum deceptus, confundens (*d*). WITIKINDUS autem, seculi X Historicus, disertis adfimat verbis: *Hunnos egressos fuisse de Gothis, Gothos autem de insula, ut Jornandes narrat, nomine Sultza* (*e*). Quid? quod non pauci Historici existiment, Hunnos intra Scandinæ fines primitus habitasse, gravemque inter Gothos & Hunnos pugnam, cuius in Historia Hervaræ (*f*) fit mentio, in campus habitam fuisse Westro-Gothicis, atque plura hujus regionis loca ab eisdem Hunnis nomen suum fortita (*g*). Sed Historica hæc est præsumtio, idoneis probationis nervis destituta (*b*).

- 5
- (a) *Vid. libr. de rebus Geticis p. m. 103. & 104. & ab hoc Historico ea, quæ de Origine Hunnorum habent, depromiserunt Aut. BONFINIUS in rerum Ungaricarum Decadibus, & CALLIMACHUS EXPERIENS in suo Attila.*
 - (b) *Vid. Nob. LAGERBRING Histor. Svecan. Tom. I. p. 546. & 547.*
 - (c) *Vid. Glossarium Svio-Gothicum voce Alruna.*
 - (d) *Vid. libr. I. de Bello Perlico Cap. X.*
 - (e) *Vid. Annales Saxon. libr. I. p. 8.*
 - (f) *Vid. Cap. XIX.*
 - (g) *Vid. J. G. KEYSLERI antiquitates septentrionales & Celticas p. 103.*
 - (h) *Vid. VERELII Not. ad Hervaræ Histor. p. 277. & LAGERBRING libr. cit. p. m. 542.*

§. II.

Enimvero quæ de origine ac rebus Hunnorum gentis in antiquis Romanorum ac Gothorum scriptis occurserunt, virilem hujus gentis ætatem ac senectutem potius, quam infantiam concernunt, si eorum narrationes in contentione cum illis veniant, quæ monumentorum Chinensium fide nixus, de Hunnis nos docet Historicus Galliae maxime celebris DE GUIGNES in opere, quod inscripsit *Histoire Générale des Huns &c* V voluminibus constante, ex quo pauca quædam, antiquitatem gentis Hunnorum spectantia, breviter & quasi per transennam proponemus. Silentio præterimus ea, quæ de origine Tartarorum, quo generali nomine Hunnos olim tuisse comprehensos laudatus hic Auctoꝝ existimat, ad ea descendentes tempora, quibus Hunni seorsim inclarescere coepi-
runt,

runt, quod 1200 circiter annis ante æram Christianam factum fuisse commemorat, ex qua epocha Hunni totam posledisse Tartariam, ac frequentes in Chinense imperium fecisse irruptiones, perhibentur. Quicquid autem abhinc, intervallo decem seculorum in Gente contigit Hunnica, ad tempus Historiæ Hunnicæ partim ἀδηλού, partim μιθικού pertinet, Historico ab anno 209 ante natum Christum incipiente; a quo seriem non interruptam & ad an. 93 æræ Christianæ se extendentem, nobis exhibit Principum XXVI, qui Hunnis imperarunt (a). Quocirca observare licet, cum quod singula horum Dynastiarum nomina sint ad genium linguae Chinensium, non tam loquentium, quam litteras potius modulantium, emollita, forte rectius, deformata; tum quod Hunni in Chinensium Scriptis nominantur modo *Hien-joun*, modo & quidem præcipue *Hiong nou; Mot corrumpu*, inquit Auctor, par les Chinois, & dont la vrai prononciation, qui nous est également inconnue, a formée le nom des Huns, Hunni (b) Cæterum veteres Hunni ingentem Asiae partem, in longitudinem a fluvio Iritsch versus orientem ad regionem, quam hodie incolunt Tartari Mantcheous dicti, & in latitudinem a famoso imperii Chinensis muro & montibus Tibet, ad montes Altai versus septentrionem se extendentem, suo tenebant imperio (c). Horum autem posteri, qui Chinensium sape vastaverant provincias, mutuis tandem fracti discordiis, a Chinensibus, occasione inservientibus, vieti & ita sunt dissipati, ut, vergente seculo primo, pars eorum versus occasum, altera versus septentrionem se recipere cogeretur, utraque deinceps ab aviris sedibus magis magisque digrediente (d). In eo denique convenientur Historici tam Chinenses, quam alii, primam Hunnorum in Europam irruptionem, duce eorum BALAMIRO, circa an. Chr. 376 factam esse (e).

(a)

- (a) Vid. *Histoire des Huns &c. par Mr. De GUIGNES Tom. I. p. 216. seq.* Ceterum de fide, quam merentur antiquitates veterum populorum, & in his Chinensium Vid. librum, cui titulus *De l'origine des Loix, des arts & des sciences, Tom VI. dissert. VIII.*
- (b) Vid. *Histoire des Huns Tom II. p. 13.*
- (c) Vid. *Historici modo cit. Description de la Grande Tartarie Tom. II. p. XL;* opinantur etiam multi, hos Hunnos esse eos, quos *PTOLOMÆUS Geograph. libr. VI. Cap. XVI* per Iesu annibes designat.
- (d) Vid. *L'Histoire des Huns &c. Tom. I. p. 217.*
- (e) Vid. *Libr. modo citat. p. 218, item J. THUNMANNS Untersuchungen über die Geschichte der östlichen europäischen Völker p. 27.*

§. III.

Fennos a veteribus Hunnis non esse oriundos, exinde primum colligere licet, quod priisci Europæi Scriptores, utriusque Nationis mentionem facientes, longe serius de Hunnis, quam de Fennis loquantur; procul dubio, quod dum Romani per Orientales Europæ partes vicitria sua circumtulerunt armæ, Hunni eas nondum attigissent oras, sed in parte Asiae interiori hærerent. Existimat quidem Cl. THUNMANNUS (a), quod DIONYSIUS de CHARAX, a libro, quem ad mandatum Imperatoris AUGUSTI conscripsit, *Periegeta communiter appellatus*, Hunnorum faciat mentionem, ita canens: Ἰνος δὲ ξένης, ἐπὶ δὲ αὐλοῖς νάστοις ἀρδεῖς -- ἀλβανοί τὸν Ιονίων ἄγνοι -- Unni item deinceps, prope ipsos autem Caspii viri -- Albani sub his Martii (b). Enimvero cum in aliis codicibus occurrant Tenvor, & nec STRABO, nec alii veterum Geographorum quid

quidquam de Hunnis memoriae prodant, aliorum sit iudicium, an versiculo huic aliquid insit ponderis, praesertim cum idem THUNMANNUS nos doceat, quod demum seculo IV in Historia Armenica mentio Hunnorum occurrat. Loquitur quidem *Theophylactus SIMOCÆTA*, secul. VII Scriptor de Unnis, sed qui simul indicat, quod Persæ ita nominaverint Turcas (*c*), ad Fennorum Nationem nequaquam referendos. *Chunorum* nomen occurrit quidem apud Geographum PTOLOMÆUM seculi II scriptorem, qui eos collocat μέλαχνοι Βαζαρενοι ναι γοξαλανοι, inter *Bastarnas & Roxolanos* (*d*); an vero hi Chuni ad Nationem pertinuerint Hunnorum, non habuit CELLARIUS, quod pro certo adfirmaret (*e*). Sed demus, quoniam exigua est nominum differentia, *Chunos* fuisse Hunnos; attamen quum quoad sedes a Fennis longe distarent (*f*), diversas quoque has fuisse gentes, non praeter rationem concludimus. TACITO, seculi I Historico, plane ignoti fuerunt Hunni, qui vero Fennorum vivendi modum, & quas sua ætate hi habuerunt sedes, copiose describit (*g*). Loquitur etiam PLINIUS, Tacito æqualis Scriptor, de Eningia (*h*) seu Feningia, regione Scandinaviae contermina, & hac qua amplitudinem non multum minori (*i*). Dum JORNANDES, qui eo vixit & tempore & loco, quibus notitiam gentis Hunnicæ sibi comparare potuit, populos, Scanziam habitantes, describit, his annumerat etiam Finnos, quibus longe posteriores fuisse Hunnos, aperte insinuat (*k*). Quæ in medium jam allata argumenta, si alia non suppeterent, præsumtam Fennorum ab Hunnis originem, ex nostro saltem judicio, reddunt dubiam.

(*a*) Vid. *Libr. supra citat.* pag. 24.

(*b*) Vid. *DIONYSI descriptionem orbis p. m. 203*, ex editione B. BERTRANDI.

(c) Hoc discimus ex BERTRANDI observationibus ad Periegetæ opus.

(d) Vid. Geograph. Libr. V. Cap. IX.

(e) Vid. Notitiam Orbis antiqui Tom. I. Libr. II. Cap. VI. p. m. 507. Quocirca notari meretur, quod HELMOLDIUS ab initio Chronici Slavici per Chnigard intelligat Rossiam, quam Auctor Historiolæ Gothicæ de GÖTHRICO & ROLFONE Cap. IV. p. 26 appellat Kiānugard; ad quæ verba ita commentatur Cl. SCHOETTGENIUS in dissertatione de Russorum Synonymis p. m. 12. Ego, salvis aliorum judiciis, arbitror, Principatum kiovensem innui, nam Kiovia erat Ruthenorum metropolis; illud vero, quod de Hunnis ajunt, mibi non satis verisimile videtur. Profecto in aliis nostris Historiolis distinguuntur Hunalandia & Risalandia.

(f) Sunt quidem varia intra Scandiam loca, quorum nomina ab Hun incipiunt, quæ an Hunni unquam habitaverint, adseverare non audemus, dissentientibus in hoc argumento a se Historicis.

(g) Vid. libr. de moribus Germaniæ Cap. XLVI.

(h) Observat Cellarius libr. cit. p. 490. quod in M. Stis Epigia, in editis autem libris Eningia legatur, quam vocem per Feningiam interpretati sunt recentiores, quibus vero propterea dicam scribit Nob. SUHM in libro om de Nordiske Folks älteste Oprindelse §. IV. p. 153 quamvis adjecta a Plinio descriptio in nostram quadrare videatur Finlandiam.

(i) Vid. Histor. Nat. Libr. IV. Cap. 27.

(k) Vid. libr. de rebus Geticis p. m. 82. & 103.

§. IV.

Quamvis Deus O. M. corpora hominum paribus instruxerit organis; docet tamen experientia, quod illa, accedente a tenera inde ætate crebra exercitatione, ita possint quasi modificari, ut in eorum usu maxima animadvertisatur disparitas. Valet hoc in primis de facultate loquendi, atque usu organorum eidem exserendæ inservientium, ex quorum diverso motu ac varia per longam & sœpe imperceptibilem confuetudinem in habitum deducta conformatio sine dubio provenit, ut non singulae tantum Nationes peculiarem suam habeant lingua, sed singuli etiam sibi eadem comprehensi gente, qua eloquentis tenorem ita discrepent, ut ex provinciali dialecto homines possint distingui. Immo dum homines per diversos, quibus vita nostra patet, casus in dissitas & alio quasi sole calentes regiones a communi stirpe avulsi projiciuntur; vernacula suam modo quosdam habeant sympathiotas, cum quibus sermones subinde conferre possunt, serius quam avitos mores & patrias consuetudines, diversarum licet Nationum turba cincti, dediscunt. Quare etiam linguarum convenientia argumentum semper habitum fuit magni ponderis in afferenda gentium cognatione & ex communi stirpe origine, deficientibus præterim argumentis Historicis (a). Nisi autem filo hoc Ariadnæ in gentium cognatione indaganda caute utamur, fieri facile potest, ut nubem pro Junone complectamur; eidem enim confirmandas non sufficit vocum quarundam ac casu veluti fortuito repertarum vel per commercia introductarum convenientia, qua sonum licet & significationem similium, sed talium, quæ ad res maxime communes ac necessarias designandas utrinque solent adhiberi. Contra ea, si gens quædam vel non habeat vel ægregie

ferat litteras, alteri genti velut proprias, ac luculenter proinde appareat, dispositionem loquelæ in utraque gente diversam esse, sine hæsitatione concludere licet, gentes has non esse cognatas, quamvis cæteroquin quoad præceptorum Grammaticalium tenorem parum a se discrepent. Enimvero ex hoc præmissarum παρέδω in viam præsentis argumenti veniamus. Diffiteri quidem nemo potest, linguas Fennicam & Hungaricam, quam ab Hunnica ratione ætatis tantum differre, auctoritate Scriptorum Hungaricorum inducti supponimus, qua vocum nonnullarum sonum & significatum inter se convenire, cuius rei specimina Vici, in republica Litteraria superioris subsellii exhibent (*c*): quæ tamen utriusque linguae harmonia, ex nostro saltem judicio, tanta non est, quanta inter linguam Hungaricam & Lapponicam, quæ exspectationem superat (*d*), animadvertisit, vel quæ præsumitæ inter Nationem Fennicam & Hungaricam cognitioni, extra dubitationis aleam ponendæ, sufficit. Notari enim meretur, quod vocabula quævis a B, D, F & Z incipientia, sint Fennis peregrina (*e*), quorum tamen farragine lingua abundat Hungarica; contra ea Fenni plurimas habent voces, ab y incipientes, quam litteram ab initio vocis positam, non ferunt Hungari (*f*). Ulterius Fenni ex duabus consonantibus, ab initio vocis cuiusdam occurrentibus, alteram ellidunt, pleno quippe ore loquentes, in lingua autem Hungarica nihil est frequentius, quam vocabula, a CZ, SZ, TZ, TZS, ut alia reticeam similia, & per volubilem expresa sibilum, invenire (*g*). Denique Hunni suas litteras a dextra sinistram versus, secus ac Fenni faciunt, scribebant. Ut vero ad oculum pateat, qualis sit linguae Fennicæ ad Hunnicam seu Hungaricam relatio, schema quoddam vocum, quibus eadem res in utraque exprimuntur lingua, subjungemus;

<i>Latine.</i>	<i>Fennice.</i>	<i>Hungar.</i>	<i>Latine.</i>	<i>Fennice.</i>	<i>Hungarice.</i>
Unum	Yxi	Edgy	Deus	Jumala	Isten
Duo	Kaxi	Kettő	Cælum	Taivas	Eg,menuel
Tria	Kolme	Hérom	Nubes	Pilvi	Felyhő
Quatuor	Neljä	Negu	Ventus	Tuuli	Szél
Quinque	Wijsi	Ött			
Sex	Kuus	Hat	Nix	Lumi	Hö
Septem	Seitzämän	Het	Sol	Auringo	Nap
Octo	Kahdexan	Nyoltz	Luna	Kuu	Höld
Novem	Yhdexan	Külenz	Terra	Maa	Föld
Decem	Kymenen	Tiz	Silva	Mezä	Mez
			Lapis	Kivi	Kö
			Ferrum	Rauta	Väs

<i>Latine.</i>	<i>Fennice.</i>	<i>Hungarice.</i>
Pater	Ilä	Atya
Mater	Äiti	Anya
Homo	Ihminen	Ember
Vir	Mies	Fér
Oculus	Silmä	Szem
Auris	Korva	Fül
Ignis	Tuli	Puz
Dies	Päivä	Nap
Nox	Yö	Ey
Casa	Kota,pirtti,Satora	
Piscis	Kala	Hal
Pes	Jalka	Lap
Canis	Koira	Kutyá (b).

Si hoc vocabulorum spicilegium in messem, quod fieri posset, adhuc augeremus, nostra tamen opinio ne quidquam exinde debilitaretur; siquidem ex hac, æque ac ex illo dispalesceret, in linguis Fennica & Hungarica occurrere voces, quarum nonnullæ insignem, plures exiguum, plurimæ autem nullam inter se habent conuenientiam.

tiam. Quando autem harmonia vocum est conspicua, eadem tamen inter linguam Lapponicam & Hungaricam in isto casu est magis luculenta; quare praesumi potest, detur tamen venia conjecturæ, majores nostros voces illas a confinibus in Finlandia Lapponibus olim mutuatos, suæ linguae ut proprias postmodum inferuisse. Fennos enim & Lappones ad eandem pertinere Nationem, quod multis fuit persolvum (*i*), in nostrum inducere non possumus animum; quum istam opinionem magno argumentorum apparatu accuratiore antiquitatum patriarum Scrutatores plane rejecerint (*k*). Quum itaque ex eis, quæ in medium hactenus attulimus, adfamat constet, convenientiam linguarum Fennicæ & Hunnicæ seu Hungaricæ non esse tantam, quanta ad veram utriusque Nationis consanguinitatem probandam exesse valeret; hypothesin istam præstantissimorum Historicorum (*l*) auctoritate nixi haud admittendam esse censemus.

(*a*) Quantum ad origines gentium investigandas positum sit momentum in linguarum vestigiis, docuerunt cum aliis, tum imprimis Joh. BODINUS in *methodo Historiar. Cap. IX. p. m. 362 seq.*

(*b*) Vid. M. BELII *Exercitationem de veteri Litteratura Hunno Scythica*

(*c*) Vid. *Tabulam linguarum Harmonicam a Nob. STRAHLENBERG consignatam*, & in opere ejus *Historico*, in antecedentibus a nobis citato, occurrentem, itemque *Nob. Job. IHRE Glossarii Svio Gothici proæmium p. XXXIX & XL*. Memorabilem ibidem illustris hic Auctor refert casum, quod scilicet Fennici quidam milites, in bello Germanico capti & in Hungariam abducti intra perexignum tempus cum regionis ejus incolis colloquia miscere potuerint; quod tamen parum obyenit mirum, si ex legione Ostrobothnica hi

fuerint milites, atque linguam etiam calluerint Lapponicam.

- (d) In hoc campo magna imprimis cum laude versatus est Cl. J. SAINOVICZ, natione Hungarus, qui in Lapponia aliquamdiu commorabatur, cuius inventur demonstratio: *Idioma Ungarorum & Lapponum idem esse*; de quo libro vid. *Tidningar utgifne af et Sällskap i Åbo år 1771 p. 3, 61, 138, 180, 186*; quam quidem Hypothesin uberior excoluit Em. J. ÖHRLING, *Lapponia Westrobotniensis*, edita Upsaliæ An. 1772 sub præsidio Nob. IHRE Disertazione de *convenientia linguae Hungarice cum Lapponica*.
- (e) Vid. in primis *Rev. D. D. JUSLENII Lexicon Fennicum*; res cæteroquin est inter nostrates notissima.
- (f) Vid. citat. *M. BELII Exercitat. p. 32. & seq.*
- (g) Vid. *librum modo citatum p. 42.*
- (h) In hac vocabulorum utriusque linguae sylloge consignanda præcipue consuluiimus nominatam STRAHLENBERGII Tabulam.
- (i) Vid. *WEXIONII GYLLENSTOLPES descriptionem Sveciae libr. II. Cap. 10 & libr. III Cap. 12 J. SCHEFFERI Lapponiam Cap. VI. Nob. SUHM om de Nordiske Folks äldste Oprindelse p. I.*
- (k) Vid. *Nob. LINDHEIM Schediasma continens observationes de diversa origine Finlandorum & Lapponum, insertum Actis Reg. Scient. Academ. Ups. Vol. II. nec non Cel. Professoris H.G. PORTHAN Annotationes in P. JUUSTEN Chronicen Episcoporum Finland. p. 80 & seq.*
- (l) Vid. *Cel. SCHLÖZERS allgemeine nordische Geschicht. te p. 292 seq.*

Almam porro si consulamus Naturam, aliud ipsa nobis subministrat argumentum contra prætenam inter Fennos & Hunnos cognitionem, a corporum utriusque Nationis habitu defunum, docentibus Historicis fide dignis, eam in illos, quam in hos fuisse faventiorem. Veteres enim Hunnos, Orbis Europæ quondam & terrorem & flagellum, ita describunt Auctores quod corpora eorum massam carneam fere informem referrent, & tamquam in nodum contortam; speciatim illis tribuentes staturam brevem, sed obesam, collum solito crassius, haud multum ultra humeros prominens, dorsum incurvum, caput magnum & rotundum, oculos parvos, & suis orbitis profundius immersos, obtutus tamen vividos & asperos, colorem denique corporis subnigrum (*a*). Et ut Marti se fuosque devoverant filios, ita nihil intermisserunt, quo hi corpora nanciscerentur, ad quiorum adspectum alii exhorrescerent, patribus proinde in facies filiorum recens natorum non uno modo sœvientibus (*b*). Vivam horum Hunnorum imaginem ejamnum præbere censemur eorum posteri, *Mongalo Kalmucko-Massagethæ*, a Nob. *STRAHLENBERGIO*, qua corporis habitum ita descripti, quod sint *ein ungestaltet besliches Volk* (*c*). Auxit hanc deformitatem durior ac perdifficilis, qualis inter veteres Hunnos obtinuit vivendi ratio, quos insuper atro carbone forsitan notarunt Scriptores, ut morum barbarie foeditatem corporum respondisse palam facerent. Quidquid sit, certum tamen est, corpora Hunnicorum habitum ex deformi multum traxisse, adeoque a forma majorum nostrorum, etiam eorum, qui in remotissimis oris a cultiori vita genere fuerunt alieni, toto, ut ita dicamus, cælo fuisse diversum, quippe quorum corpora sunt procera, erecta, suc-

succulenta, non pinguia, singulaque membra eam habent proportionem, quæ ad venustatem formandam naturaliter requiritur (*d*).

(*a*) Vid. *PROCOPII de Bello Gothicō libr. II. Cap. 6.*
libr. IV. Cap. 3. & *Histoire du Bas-Empire par Mr Le BEAU Tom. IV. p. m. 378.* Quæ præeuntibus his aliisque Historicis, de forma corporum Hunnicorum attulimus momenta, talia sunt, qualia de Lapponum corporibus non pauci perhibent Scriptores, vid. *SCHEF-FERI Lapponiam Cap. V.*

(*b*) Vid. *JORNANDIS libr. citat. p. m. 104. 105.*

(*c*) Vid. *libr. supra citat. p. 39.*

(*d*) Vid. *D. JUSLENII Vindicias Fennorum, in Nob. NETTELBLADTS Schvedische Bibliotb. Tom. I. p. 143 seq.*

§. VI.

Quum denique experientia doceat, quod vitæ genus, in quo Majores suum præcipue posuerunt studium, nepotes eorum & posteri ægre & vix post seculorum seriem in desuetudinem abire patientur; ex disparitate institutorum ac vitæ generis duarum Nationum probabili-
ter concluditur, eas diversæ esse prosapiæ. Cum populis barbaris hoc commune habuisse veteres memorantur Hunni, ut ætatem in castris consumerent, bella vel aliis inferentes vel ab his sibi illata repellentes, nec contenti, finitimas lacescivisse gentes, in remotissimas ejam regiones strictis penetrasse gladiis. Equitatu præterea valuerunt Hunni, suis ita velut adfixi equis, ut ex his raro descenderent, sive cibum, sive somnum capturi (*a*). De pri-
scis

scis autem Fennis memoriæ prodit TACITUS (*b*), quod mira eis feritas (id est vitæ cultioris ignorantia), fœda paupertas, quod ex venatu viverent, & hoc beatius arbitrarentur, quam ingemere agris, illaborare domibus, & suas alienasque fortunas spe metuque versare. Constat quidem, Fennos sequentibus seculis crebras irruptiones in Svethiæ provincias fecisse, sed aliorum, præser-tim Æsthiorum, cognatae gentis, signa secutos; ipsi enim inter boreales populos habebantur *mitissimi* (*c*). Nulla i-gitur sunt indicia, quod Fenni soli prisco ævo memorabilia gesserint bella, aut servos bello captos habuerint. Præterea expeditiones eorum fuerunt maritimæ, nec terrestres suscipere potuerunt, equis, ut perhibet TACITUS, destituti. Hunni denique suis constanter paruerunt Regibus, quorum longam nobis seriem exhibent Historici; veteres autem Fenni proprios non habuerunt Reges; cu-jus rei argumenta sunt, quod idoneam nullam sua lin-gua habent appellationem, qua Regem designent, urbi-bus etjam & arcibus destituti, aliud non agnoverunt imperium, quam quod patrum familiarum niteretur aucto-ritate, quæ enim in yetustis annalibus Scandicis de Feno-rum Regibus, cum quibus Svethiæ Principes partim fœ-dera inierunt, partim bella gesserunt, passim memorantur, Dynastas quosdam nostræ Finlandiæ non spectare, dudum fuit probatum. Ex quibus in medium jam allatis momen-tis adfatim constare arbitramur, Fennos ab Hunnis na-tionem fuisse plane diverlam.

(a) Vide quæ de Hunnorum vivendi ratione ex pluribus antiquis Historicis colligit *Le BEAU Libr. citatis p. 378 seq.*

(b) Vid. *Libr. de moribus Germaniae Cap. XLVI.*

(c) Vid. *JORNANDIS Libr. cit. p. m. 82.*

S. D. G.

